



IOuianus patre Varomanno Segeduni in Pan-
nonia natus & educatus est. hunc pater præce-
ptoribus erudiendū dedit, atq; omnis generis uir-
tutibus instituit. Itaq; filius ingenio ad omnes disci-
plinas promptissimo haud parum liberalibus arti-
bus profecit, & Christianorum fidem religiose co-
luit. Cum autem pater eius militia clarus, & ubiq;
notus in auitos agros secessisset, & emeritus quie-
scendo agriculturæ operam daret, filio author fuit
ut Romana castra sequeretur. per nocturnam e-
nim quietem admonitus est filium Iouianum pur-
pura potiturum. Itaq; Iouianus fortitudine singula-
ri effecit, ut breui in exercitu ordines duceret, &
millenarius esset. Cum autem postea Iulianus Cæsar Christianos ab exercitu
remouisset, maluit ipse quoq; cingulum militiaæ relinquere, quam Imperato-
ri obedire & idolis sacrificare. Accidit autem paulo post, cum Iulianus expe-
ditionem contra Persas suscipieret, ut huc Iouianum ad se uocaret, ac propter
uirtutes ob Christianam religionem molestare desisteret. Cum uero Iulianus
ob suam impietatem à hoste imperfectus esset, atq; Romanorum exercitus in
locis periculosis ab hoste urgeretur, hic Iouianus ad Imperium uocatus est.
Verum is cum uolenter à militibus ad Imperium raperetur, recusauit illis im-
perare, qui à sua religione essent alieni. Tum milites alta uoce in clamorunt, se
quoq; Christum colere. Ob amorem enim Iuliani facile omnes in hunc Iouia-
num consenserunt, quod una tantum litera immutata idem nomen esset. Inte-
rea Sapores rex Persarum audita Iuliani morte, suis copijs collectis, Roma-
nos adorit, atq; in loco iniquissimo castris inclusit. Itaq; cū ingēs penuria an-
nonē esset, Imperator cū Persis, magna calamitate Romani Imperij, fœdus tri-
ginta annorum iniit, & nobiliores tribunos obsides dedit: hocq; modo exer-
citum ex confragosis & asperis montibus in tutum produxit.